



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

XLI. Bischof Johann ertheilt den Wohlthätern der Pfarrkirchen Prenzlau´s
einen Ablass, am 2. April 1320.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

XLI. Bischof Johann ertheilt den Wohlthätern der Pfarrkirchen Prenzlau's einen Ablass,
am 2. April 1320.

Vniuersis Cristi fidelibus presens scriptum intuentibus Nos frater Johannes, dei gratia Episcopus ecclesie Sambyensis, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Volentes laudem summi creatoris ampliare, ac salutem animarum in quantum cum ipso adiutorio possumus promouere, omnibus vere penitentibus contritis et confessis, qui ecclesiam parrochiam beate Marie virginis et patrone in primzlaw, filias quoque dicte ecclesie adherentes videlicet ecclesiam beati Jacobi, ecclesiam beati Nicholai, ecclesiam beati Johannis baptiste, ecclesiam beati Georgij extra muros et ecclesiam sancti spiritus in festiuitatibus infra scriptis scilicet dominice resurrectionis, ascensionis, penthecosten, natiuitatis Christi, in III^{or} festiuitatibus beate marie virginis, in festiuitatibus Petri et pauli et aliorum omnium apostolorum, in festo Marie magdalene, in festo beati Nicolai et beate Katherine Virginis, beati laurentij, in festis sancte crucis, item beati Johannis baptiste in natiuitate et decollatione et in anniuersario dedicationum ecclesiarum et altarium, cum oblationibus devote visitauerint, ac ecclesiis memoratis manus adiutrices porrexerint, hijs quoque, qui cimiteria dictarum ecclesiarum cum deuotione et reuerentia circueuerint, pro animabus omnium fidelium defunctorum fideliter supplicando, XL dies, hijs quoque, qui corpus dominicum, cum ad infirmum portari contigerit, cum deuotione insecuti fuerint, V dies indulgentiarum de iniuncta eis penitentia dummodo dyocefani accedat confirmatio in domino misericorditer relaxamus. Actum et datum Primzlaw, Anno domini M^o. CCC^o. XX^o. die quarta infra octauas resurrectionis domini nostri Jesu Christi.

Nach Beckmann's Abschrift des Originals.

XLII. Conrad, Bischof von Camin, bestätigt dem Nonnenkloster St. Sabini den Besitz der
Pfarrkirchen Prenzlau's, am 9. Juli 1320.

In nomine sancte et indiuidue Trinitatis. Religiosam vitam ducentibus humanum conuenit adesse presidium, ne temporalium refectione subtracta sancta Religio spiritualibus deficiat incrementis. Humane enim inimicus nature callidas insidiarum telas in lacu nostre miserie acuta fraude vbique contexuit ut suis mortalium animas valeat laqueis deputare, ac perpetuis cruciari supplicijs. Sed paternitas diuine clemencie immensa benignitate huic compassa miserie sancte Religionis refugium adinuenit, quo magis nostre carnis puritas seruaretur a hostis antiqui venerosa tendicula rumperetur. Sancta enim et vera Relligio testante scriptura, nequit vnquam occasum accipere, aut defectui subiacere. Sane cum nobis Conrado, dei gracia Camynensis Ecclesie Episcopo, deuote in Christo virgines sanctimoniales, abbatissa, priorissa totusque conuentus sanctimonialium ecclesie sancti sabini nove ciuitatis Prinzwlaw, nostre dyocefanos, priuilegia dominorum ac principum, videlicet domini Barnym, Slaorum Ducis, et dominorum Marchionum Johannis antiqui et Ottonis, do-